

1756.

1. Estor, Joannes Georgius : De jure magistralibus non cogenti & judicante consequendi sententia, quam subi & magistratus provinciae alii, ubi de actione judicati facta veraque . . . agitur
2. Hoffmann, Joannes Laurentius : Utrum fœda consuetudia praesumenda sint feminis?

1757.

1. Francke, Joannes Georgius : De allegatione causae criminalis, pro coloranda causa civili facta, et eorum supremis imperii tribunali bus proposta, conexitatem non operante, nec illorum iuris dictio nem fundante.

1758.

1. Quill, Fridericus Ernestus : De iudicis censoriis, velut Regi-gericht, speciatione &c iis, quae in synesi Wiedens-Rosenthalis servit per annum . . . celebrantur.
2. Francke, Joannes Georgius : De transubstantione testamento, iudicibus hanc posuisse.

1758.

3. Hoffmann, Joannes Andreae: *De indigenis eorumque
prerogatiis i'longue emolumenibus hinc in
terris cum civitatibus et locis Germanie consti-
tutis. Progymna, expulsiōnes tecas... praemissa*

4. W. Hirsch, Joannes Georgius: *De insq[ui]a differentia
inter procerum combinatoriis vulgo concursus
Illustrium et privatorum.*

1759.

1. Eitor, Joannes Georgius: *De contus bahone Illustrium
senckenburen n're de cura Imperatoris Augusti,
et aere Prusti statis imperii exeat & de vulgo
Administracione. Communis et Relig. Worx.*

2. Eitor, Joannes Georgius: *Meltemata de scite
reparantis ab attalio rebus per datus.*

3. Wille, Cornelia Ludoviciana: *De sententiis contrariis
etiam tempore circa idem negotium litigiosum
latiss.*

1760.
1. Hoffmann, Jo. Andreae: *De viriū investitib[us] feudal-
individualium possidentibus nuptie misus et ruror*

frōnum usq; ad strictus.

174.

1. Knebelly, Iacobus Franciscus: De confirmatione
aliqua cum habe fundatioris dictio nem Caesaris,
sc̄ quid negat ab hoc fuerit confirmationum?

1762.

1. Klinckerspus, Iacobus Christianus: Recensore modo
concursum in sententia classificatoria ad
Fehard missus, impetratis est uterque has
formas non contento.

1703.

1. Trumbach, Christianus: De non recipienda
appellacione in causis positione et qual at
formam figuraeque provinciae pertinent.

✓

3.
4
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
**IVDICIIS CENSORIIS,
VVLGO RVGE-GERICHTEN
SPECIATIM DE IIS, QVAE IN
DYNASTIA WEDANO-RONCALIENSI SEMEL
PER ANNVM SOLEMNITER CELEBRANTVR,**

QVAM
DIVINA ANNVENTE CLEMENTIA
SVE AVSPICIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI ET CELSISIMI PRINCIPIS

AC DOMINI
DOMINI FRIDERICI
HASSIAE LANDGRAVII ET PRINCIPIS
HEREDITARII RELIQ.
AVCTORATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA MARBURGENSI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES,
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI
PVBLICO EXCELLENTISSIMORVM ACADEMIAE
PROCERVM EXAMINI

AD DIEM SEPTEMBR. CCCLVIII
SVBMITIT

AVCTOR


FRIDERICVS ERNESTVS DVILL
WETZLARIENSIS.

MARBURGI CATTORVM
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI ACAD. TYPOGR.



NOVELLA LEONIS 83. pr.

*Si a Spiritus legibus ita se mortale genus regi sineret, ut
humanis praeceptis nihil indigeret, id vero et decorum et
salutare esset: at quoniam se ad spiritus sublimitatem ele-
uare, diuinaeque legis vocem amplecti non cuiusque est:
ac vero quos buc virtus ducat, numero valde pauci sunt:
bene sese adhuc res haberet, si saltem secundum leges hu-
manas vineretur.*



CAPVT I

DE IUDICIIS CENSORIIS
GERMANORVM IN GENERE.



S. I

Iudicia censoria, Rüge-gerichte, vocantur Quid sine
iudicia publica, in quibus delicta leuiora,
ad denunciationem personarum iuris iurantur
di religione deuinctorum, praevia caussae
cognitione summarie vindicantur, aliquae
follemnes ritus, pro more cuiusque prouinciae, sub
dio celebrantur. confer. IO. CHRISTOPHORI
HERBORTII *dissertationem de iudiciis censoriis*, von
rügegerichten, Lipsiae 1727 publice defensam; nec
non ea, quae celeberrimus inter Goettingenses iu-
rium Professor CHRISTIANVS FRIDERICVS GE-
ORGIVS MEISTER *parte prima*, nouissime editi
tractatus: *ausführliche abhandlung des peinlichen pro-
cesses in Deutschland seit 1 de censoriis iudiciis retu-
lit, quem quidem ob temporis angustias nondum*

A. 2 inspi-

4 CAP. I DE IUDICIS CENSORIIS

inspicere, ex relationibus litterariis Goettingensibus huius anni num. 54 pag. 513 seqq. tamen in tantum cognoscere licuit, ut commendare eum optimo valeamus iure.

§. II

Etymolo- Quae de etymo vocis rüge-gericht a variis pro-
gia vocis feruntur tribus saltim explicare liceat verbis: Rügen
rügen: in vernacula lingua nihil aliud denotat, quam abs-
condita te^{ct}aque publice proponere ac propalare,
notitiam rei occultae cum omnibus communicare;
quasi a regen, seu rege machen, erregen, aut si malis
a gericht fama, et ruchtbahr machen. Propterea Lu-
therus in transferendo vocem graecam παραδιγματί-
σαι Matth. I. ¶ 19. vbi de Iosepho et Maria sermo est,
vñus fuit verbis; *er wölte sie nicht riigen*: haec trans-
latio ab effētu fuit desumpta, quoniam vocabulum
παραδιγματίζω proprie denotat *maxima* *aliquem igno-
miniae exponere*, ita, vt quasi numellis alligatus omnium
in oculis detestabili infamiae adspergatur labē; ignominia enim profectō maxima redundasset in Mari-
am, si Iosephus publice denunciasset, ipsam esse gra-
uidam, antequam in suum recepta sit torum. Quan-
uis autem vocabulum *rügen*, *ruchtbahr machen*, in sen-
su communi denotet omnem diuulgationem tum deli-
ctorum, tum aliarum rerum occultarum; hoc tamen
loco *rügen* est publice deferre aliquid in iudicio, o-
mnibus audientibus. Aliorum opinionem, qui vocis
originem a *raechen*, vindicare, quasi quod per huius-
modi denuntiationes ac iudicia censoria vindicentur
delicta, repetunt, minime probamus.

§. III

GERMANORVM IN GENERE.

5

§. III

Ipsa autem haecce censoria iudicia ex solis patri-
is Germanorum moribus nata esse, neminem inficias
itum credimus. Licet enim in iudiciis Romanorum
publicis et actionibus popularibus, cuius e populo
agendi competenter facultas, *L. 4 D. de popularibus acti-*
onibus et in his praecipue actor ad mulctam sibi adpli-
candam intenderet actionem §. I. *de obligat. quae qua-*
si ex delicto nascuntur; nulla tamen apud Romanos so-
lemnissima iudicia statim temporibus in leuiora delicta ani-
maduertendi causa congregata fuisse, qualia inter Ger-
manos censoria iudicia erant, nemo non vider; et hinc
Romanorum iudicia publica, coram eo, qui mero im-
perio pollebat, instituta, aut actiones populares in fo-
ro ordinario propositas, a censoris Germanorum iu-
diciis statim die, in solemnissimi iudicis, et scabinorum con-
fessu celebrandis, facilissimo quisque discernet negotio.

§. IV

Germani suae libertatis studiosi, quam studiosissi-
mi, nec Regem ferre, nec principi suo liberam po-
testatem concedere amabant; qua de re, si de negoti-
o alicuius momenti statuendum quidpiam erat, popu-
li coibat multitudo, ut luculentissime docuit ad cine-
res usque deuenerandus praeceptor ac patronus IO.
IACOBVS SÖRBER *in duobus voluminibus de comitiis*
veterum Germanorum, Ienae 1745 et 1749 typis di-
uulgatis. Eadem comitia germanorum, ob formam
reipublicae militarem in omnibus fere negotiis conspi-
cuam, docente, quem non nisi summa cum obseruan-

Sed ex
moribus
Germano-
rum repe-
tere licet.

A 3

tia

6 CAP. I DE IUDICIIS CENSORIIS

tja animique submissione, honoris caussa nominamus,
Viro perillustri et magnifico IO. GEORGIO ESTOR
in observationibus feudalibus observ. XIV p. 15.
seq., singulis annis legitimo tempore, nempe inuente
vere, quia hac anni parte consultandum erat de armis
inferendis congregabantur, IO. STEPH. PÜTTER
im grundrisse der staatsveraenderungen des teutschchen
rechts 1 buch p. 7 §. 12. In hisce comitiis praeter sta-
tus reipublicae vel prouinciae ordinationem, de deli-
ctis, simul erat cognoscendum, poenaque definienda,
teste CORNELIO TACITO de moribus Germanorum
cap. XII dicente: *Licet apud concilium (i. e. comitia)*
accusare quoque et discrimen capitum intendere, - - - sed
et leuioribus delictis pro modo poenarum, equorum,
pecorumunque numero, conuicti mulctantur. Exinde ac-
cusingatio de delictis grauioribus pariter ac leuioribus,
nec non mulcta pecorum numero soluenda, luculen-
ter appetat. Sed addit idem TACITVS pars mulctae
regi vel ciuitati, pars ipfi qui vindicat vel propinquis e-
ius exsoluitur; quae verba diuisionem mulctae inter
fiscum pro publico interesse, et accusatorem vel pro-
pinquos laesi, priuatae satisfactionis loco, docent;
qua quidem in parte hodie deuiant iudicia censoria,
in quibus laeso, tantum damnum resarcendum, fisco
autem soli mulctam inferendam esse, pronunciatur.

§. V

Qui ad-
huc in
multis re-
gionibus

Quamuis autem postea facies Germaniae maxi-
mam imperantibus Merouaei et Caroli M. posteris
subierit mutationem; umbram tamen pristini huius
Ger-

Germanorum moris adhuc obseruamus in iudiciis il-
lis censoriis, quae in potiori Germaniae parte, semel
aut bis saepiusue celebrantur per singulos annos, ho-
rum originem laudatus supra §. I MEISTER loc. cit.
e terris Würtenbergicis repetit, in quibus iam inde ab
anno 1559 censoria eiusmodi iudicia ordinata fuisse,
docet, de quorum natura atque indole nunc quaedam
explicandae nostrae definitionis (§. I) causa, dicen-
da erunt.

§. VI

Iudicia censoria sunt iudicia publica (§. I) pu-
blici iudicij notio hic non absoluitur eo, quod publi-
ca auctoritate celebreretur; quippe nemini iudicium
qualecunque nisi ex publica imperantis approbatione,
vi sui officii publici, cogere licet; sed quod censoria
iudicia sunt sollemnes confessus: quod subiecti eius
praefecturae ac vicorum omnes rite sint conscriben-
di, quod, vti plurimis locis fieri consuevit, signa so-
lemnis confessus per sonum campanae danda sint;
quod iudex, qui alioquin in priuatis caussis solus praec-
est iurisdictioni, nonnisi praesentibus actuario et sca-
binis censorium ordinare iudicium queat. Iudex enim
simil atque confederat cum scabinis, hosce sollemni
formula concepta, de quibusdam ad ordinandum iu-
dicium spectantibus, interrogare, hi autem consue-
tis itidem verbis solemnibus respondere solebant.
Formulas interrogationum et responsionum in iudi-
cio criminali adhibitas certa ratione huc spectan-
tes, nobis dat quem iam pia mente laudauimus,

peril-

8 CAP. I DE IUDICIIS CENSORIIS

perillustris et celebratissimus IO. GEORGIVS ESTOR
im unterrichte von urteilen und bescheiden p. 697 seq.

Instituun-
tur de le-
uioribus
delictis.

In iudiciis censoriis vindicantur saltim leuiora delicta (§. I) nam atrociora crimina, quibus capitis, aut corpus delinquentis affligens, poena proposita est, ad iudicem, qui jurisdictioni criminali praest, spestant; hinc in iudiciis censoriis denuntiantur delicta leuiora, a subiectis eius praefecturae (gerichts oder kirchspiels unterthanen) horum liberis, famulis ac pecudibus, commissa siue in agris, siue syluis, siue hortis, aut pratis, v. c. quando damnum depascendo grama alterius, aut in alio loco prohibito, fuit illatum, vel quando quis plaustris vſus fuit vehendo supra fundum, qui semento instructus, et a seruitute liber erat; vel quum quis grama demetendo, aut poma decerpta clam auferendo, aut plantas hortorum agromine caedendo, ac corrumpendo, nocuit.

Opus est
denuncia-
tionibus.

Quo magis autem caussae cognitio institui atque substantialia iudicij obseruari queant; actoris loco, delicta denunciantur a personis publicis, qui de hoc officio sacramentum praestiterunt. (§. I) Actore enim opus est in quolibet iudicio, exigente id regula, *vbi deest actor, nihil agit iudex, seu ut in vernacula efferunt: wo kein klaeger ist, da ist auch kein richter,* at-tamen et ex officio contra reos delictorum procedere alias haud prohibetur iudex, ne, dum alii delinquentes impuniti dimituntur, plures pessimo hoc exem-

§. VII

§. VIII

exemplo ad delinquendum inuitentur, *arg. L. 13.*
pr. D. de officio praefidis. Quamuis ergo alias quilibet deferre possit huiusmodi delicta, praefertim laesum, cuius speciatim interest, tamen maxime expedit potiori ex parte denuntiationes a personis quorum fidem, ob sacramenti vinculum, quo constriagni sunt, tuto sequi licet, fieri, v. c. a praefecto pagi cuiuslibet *Dorf Schulz, Heimberger, Vorsteher,* aut a custode campi, *Feldhüter, Feld- oder Flurschütz;* quia, hisce denuntiantibus, non opus est anxia aut rigida probatione, sed eorum testimonio, quod vi officii perhibent, *auf ihre pflicht außagen,* creditur. In Hassia inferiori, praefertim in principatu Hersfeldensi, moris est, ut breui ante iudicij censorii celebrandi diem, scripta cuiusvis pagi seu vici denuntiatio exhibeatur iudici, et vbi nihil denuntiari possit, in scriptis profiteri debet vicus: sibi iam nil memoriam incurrere, quod denuntiatus dignum censeri queat. Iudicis interea est, denuntiationes scriptas in ordinem redigere, et omnia, quae pertractanda sunt ad diem usque iudicij, in quo caussae propositae sollemniter, nec tamen minus certe expedientur, parare.

§. IX.

In iudiciis censoriis vindicationi delictorum Causae summaria praemittitur caussae cognitio, (§. I). De cognitio summaria delictis enim prius cognoscendum, quam poena in ad effen- tiam hu- fligi possit, est iuris naturae; dum nulli deneganda iudicij defensio

B

10 CAP. I DE IUDICIIS CENSORIIS

requiri-
tur.

defensio est. Summarie tamen cognoscitur, quia breui manu causiae expediuntur, nec tam difficultate probatione aut reprobatione opus est. Observantur ideo substantialia iudicij. Nam ii, quorum officium est denuntiare delicta commissa, aetorum loco publice in confessu iudicij censorii vel oretenus repetunt denuntiationem, vel iudex denuntiationes in scriptis sibi ante exhibitas et in protocolum (das rüge - protocol) relatas, omnibus audientibus viua voce praelegit. Tum rei delictorum singuli interrogantur, num confiteantur factum illicitum, nec ne? Secuta confessione deinceps mulcta aut carceris poena definitur. Si autem reus neget, se commississe delictum, cuius publice arguitur; ipse cum denuntiantibus personis publicis coram iudicio simul sistitur, per modum confrontationis, (vt vocant in criminalibus) eum in finem, vt repetita, serio animo, delatio delicti, cum facti circumstantiis, reum conuincat, quum fide dignas personas in solemni iudicij confessu contra se testimonium perhibere videat. Iudex hic omnes intendit vires, vt argumentis ex fide denuntiantibus habenda, ex facti circumstantiis aut aliunde petitis, rei confessionem eliciat, et demum poenam proponat. Sin autem omnem operam in conuincendo reo perdidit iudex, dispiciendum est, num corpus delicti, testimonia denuntiantium et alia argumenta liquida plane sint, adeoque reus nullam penitus defensionem, nisi praefractam abnegationem delicti praese ferat, an causa altioris aestimetur indaginis? priori

ri in casu, non obstante negatione, poena imponitur a iudicio, ne impune quisquam delinquat. Posterior autem in casu, vltiori iudicis priuatae cognitioni committitur, poena simul a iudicio in eum casum, quo delicti vel confessus vel conuictus futurus sit reus, praescripta. Sin denique innocens deprehendatur reus, liber ab omni poena pronuntiatur a iudicio.

§. X

Delicta in censoriis iudiciis denunciata vindican-
tur dupli ratione, ita vt et laeso satisfiat, et reipu-
blicae seu fisco. Praecipue tamen de mulcta fisco
inferenda agitur; aut, si delinquens haud soluendo
sit, carcenis substituitur poena. Nam, quia ex re-
gula denuntiationes a personis publicis iurisiurandi
religione deuinatis fiunt, laesus proprie publicam
eiusmodi denuntiationem non participat, sed separa-
ta actione in ordinario iudicio instituenda damni re-
parationem petere potest. Mulcta vt plurimum in
legibus prouincialibus est determinata; ita tamen vt
augmentum aut decrementum iudicij arbitrio, pro
circumstantiarum varia ratione, subsit. In Hassia in-
feriori, praeses iudicij, ea hora, qua seabini, die
Schöffen, mulctam definiunt, discedere, aetuarius
autem ex maioribus votis conclusum protocolo hu-
ius iudicij, dem rüge - gerichts - protocol inferere
confuevit; posthac autem ipse praeses iudicij publi-
ce et viua voce mulctam aut carceris poenam a iudi-
cio praescriptam, pronuntiat, eiusque officium est

12 CAP. I DE IUDICIIS CENSORIIS

muletas recipere, ac demum fisco inferre, redditis defuper rationibus. Hac proin ratione mos vindicandi delicta leuiora in iudiciis censoriis, distat a prisco ritu, quo mulcta pro numero pecorum (ob pecuniae inopiam) inter fiscum et denuntiantem fuit diuisa (§. 4.)

§. XI

A iudi-
ciorum
censorio-
rum pro-
nuntia-
tione appel-
lare,
Publica ac viua voce mulctae cuitusuis delinquen-
tis signillatim facta pronunciatio pollet vi sententiae de-
finitiuae sollemniter publicatae; eam ob causam nec
iudex, qui praefest iudicio, nec vniuersum iudicium
corrigere sententiam poterit, nec adeoque mitigare,
aut tollere poenam legitime iam decretam, *arg. l. 55*
et l. 62 D de re indicata. Si igitur remedia impugna-
toria siue suspensiua, siue deuolutiua proponere au-
deat condemnatus, copiam protocoli a iudicio pete-
re, et vel in continenti, vel ex interuallo intradecen-
dium v. c. appellatione vti, omniaque huius formalia,
fatalia, et sollemnia exactissime obseruare tenetur, sub
periculo desertae appellationis. Huius vero auxilio,
appellans prouti conseruatio famae saepius requirit,
in instantia proxime superiori, se absque sufficienti
demonstratione, adeoque innocentem fuisse conde-
nnatum, probare potest; deducit enim grauamina et
in libello appellationis siue grauaminum exhibet iudi-
ci ad quem, intra terminum introducendae appellati-
onis, vel ab inferiori, vel a superiori iudicio praefi-
xum; nec minus appellans vtitur beneficio iuris:
nondum deducta deducam, et nondum probata probabo.

ORD.

ORD. CAMERAL. P. III. tit. XXXIII. §. 3 seq. REC. IMP.
 NOVISS. §. 73. Interea tamen, quum in causa leui-
 orum delictorum summa in appellatione ad supra-
 imperii dicasteria ex legibus publicis necessaria, sum-
 mam appellabilem vocant, desit; eandem ab hisce iu-
 diciis nec recipi posse prouocationem, nemo non vi-
 det, nisi reum condemnatum sequatur infamia, quae,
 quia non admittit aestimationem, curiarum imperii
 supremarum fundat iurisdictionem in iudicio appella-
 tionis, FRIEDER. GVILIELM. TAFINGER *in principiis iurisprudentiae cameralis lib. III tit. XIII §. 693*
pag. 618 quamuis, si vitium, quod modum proceden-
 di seu processum coram iudicio censorio ventilatum
 nullum reddit, emergat, citatio quoque super nul-
 litaribus, vti efferrunt, decerni soleat; vtroque tamen
 tum appellationis, tum nullitatis querelae in casu, pro-
 cessus a iudicio aulae imperialis vel camerae imperii
 prius haud decernuntur, quam litterae pro informa-
 tione (Schreiben um bericht) ad iudicem a quo fue-
 rint directae. REC. IMP. NOV. §. 105 et 106, 10.
 GEORG. ESTORIS *anfangs-gründe des gemeinen und*
reichs-procesſes §. 1548 II et III p. 522.

§. XII

Alia non minus ei, qui iniusta iudicij censorij ^{ut et con-}
 sententia laestum se existimat, in promptu sunt media ^{tra eam}
 eandem impugnandi. Sic supplicatio ad principem ^{supplicare} _{ad principe-}
 vel territorii dominum et post decendum rei iudica- ^{pem,}
 tae adhuc permissa est; quae, quia in mera impe-
 rantis

rantis gratia posita, nullas exigit sollemnitates aut formalia: Sed argumenta ad demonstrandam innocentiam necessaria attulisse, et principi de supplicantis innocentia plenam fecisse fidem sufficit. Cui accedit, quod laeso, si poenam remitti penitus haud posse conspiciat, pro mitiganda saltim eadem caussas allegare, et mitigationem humillime expetere, sit saluum.

§. XIII

*nec non
restitutio-
ne in in-
tegrum
uti licet.*

Restitutioni quoque in integrum locus esse poterit. Nam, si laesus, noua argumenta suam innocentiam demonstrantia, de quibus antea non cognouit iudicium censorium, proferre et probare queat, nulli dubitamus, quin iudex sententiam ex falso supposito latam, ob demonstratam innocentiam emendare. *TACOBVS BLVM in processu camerale tit. 57 §. 5 et tit. 78 §. 6* et denunciantes, qui ex odio accusarunt innocentem, coercere omnino possit.

§. XIV

*Alii ritus
in iisdem
censoriis
iudicis
explican-
di.*

Alii autem ritus pro more cuiusque prouinciae in iudicii censorii confessu expediri solent (§. 1). In hac classe ponuntur: 1) actus sollemnissimus, quo ii, qui per elapsum a nouissimo huius iudicij actum tempus, ex alterius principis territorio, in territorium huius principis migrarunt, aut matrimonium contraxerunt, sacramento praestito fidem ac subiectionem domino territorii spondent, hocque praevio matriculae subditorum inferuntur, et omnium eius yniuersitatibus com-

GERMANORVM IN GENERE. 15

commodorum fiunt participes. Hic mos seruatur in Hassia. Alibi speciale super hoc ritu ordinatur iudicium, cui nomen est *Vogtei gericht* II) Maxime salutaris quarundam regionum obseruantia, qua contractus omnes de rebus immobilibus a proxime elapso huius iudicij confessu celebrati v.c. venditiones, donationes, permutations, pacta successoria libris publicis, hac de causa speciatim contractis, gerichts-seu contraeten-bücher, inscribuntur, ad praescindendas innumeratas contrahentium lites. Huius enim testimoniis in publicos libros relati plena de dominio translato, inter contrahentes est fides. III) Iudicis alicubi locorum est publice interrogare praefectos pagorum, die vorsteher, num quilibet vicus supellectile, qua ad restinguenda incendia vti necesse est, *feuer-instru, menten seu feuer-geraethe* sufficienti sit instructus, et an vitio careat? IV) Plurimis locis subditii ad exhibendum certum numerum capitum passerum, aliarumque avium, quae frugibus maxime nocent, singuli obstringuntur, et id quod numero legibus praescipto deest, certa pecuniae quantitate redimere coquuntur. Ultimo dein loco confessum finire solent epulæ sumptibus publicis parandæ; circa quas id adhuc notari meretur, quod si vel nouum a principe creari contingat iudicem, qui iudicij censorii praeses est, vel etiam nouus eligatur scabinus, utriusque dum primum adsedit in conuentu iudicij, postea inter epulas caput corona accingi florea soleat; ob quam omnibus scabinis laetum praestari ex intervallo moris

ris est conuiuūm. Confer alios ritus, quos exhibet
IO. GOTTLIB. HEINECCIVS *in elementis iuris germanici Tom. II. lib. III. tit. I. §. 68 Schol.* p. 424 seq.

§. XV

Iudicia censoria sub dio celebrantur.

Iudicij censorii confessus sub dio celebrantur (§. 1) moris enim inter Germanos erat omnes actus solemnies sub dio celebrare. Sic antiquitas numina non in templis colebantur, quippe maiestatem diuinam domo contineri haud posse existimabant Germani, CORN. TACITVS *de moribus Germ.* cap. VII. et IO. GEORGIVS KEYSLER *in antiquitatibus selectis septentrionalibus* p. 86. Nec minus inaugurations beneficiarie ad secul. XVI. vsque maxima cum pompa celerabantur, BVRGHARTI GOTTHELF STRVII elementa iur. feud. cap. VIII. §. 180-182; comitia pariter apud veteres Germanos sub dio cogebantur, per illustris ESTOR *in absolutissima tractatione de comitiis Hassiae prouincialibus* §. 1 seq. confer quoque effigiem conuentus prouincialis Hassiaci eiusdem nouissimae editioni electorum iuris publici Hass. praemissam, nec non solium Regis Germanorum ad Rensam, cuius imaginem dat IO. DAVID KOEHLER *in der reichs-historie* p. 304, in quo eligendi regis caussa conuenire solebant principes electores, BVRGHARTVS GOTTHELF STRVVIUS *in corpore historiae germanicae*, Per. IX sect. IV. §. 1 n. 5 p. 647. Qua de re quam in iudiciis censoriis vmbram iuris prisci Germanorum conspiciamus (§. 5) hunc quoque ritum confidendi sub dio

dio inde repetere nulli dubitamus. Cur autem hodie adhuc talis mos seruetur? ne tam sollicitate exquiramus, nosfer prohibet scopus. Si quid nos videimus, fortassis, quia omnis multitudo subditorum non tam facili negotio in aedificiis simul praefens esse, et aetuum sollemnia tum obseruare, tum peragere potest, in publico et nostra aetate conuentus institui praefstat.

§. XVI

Qua anni parte, et quot per annum vicibus, Semel aut
iudicia censoria fint ordinanda, variant prouinciae. saepius
Alibi semel tantum per annum in eius fine contingit; quotannis
vti in terris Nassouicis, circa finem cuiusuis anni
primus qui dirigit lites in curia litium Dillaeburgen-
fi, adiuncto secretario regiminis prouincialis, in sin-
gulis principatus Dillaeburgici praefecturis eiusmo-
di conuocat censoria iudicia iisque solemniter praef-
est; In praefecturis Nassouico Weilburgicis in fine
cuiusuis quadrimestris per praefectos et scabinos ce-
lebrantur, ac in iis delicta minora in scriptis a scul-
tetis (*dorf-schulzen*) denuntiata disquiruntur, et se-
cundum ordinationem huius iudicij (*rüge . ordnung*)
puniuntur, hoc facto index personarum reatu di-
gnarum cum poena dictata rationario mittitur, qui
mulctam exigere, ac fisco in ferre est obstrictus. In
praefectura Alte-Solmensi, a custodibus camporum
et syluarum, quolibet die lunae, delicta minora se-
ptimanae praeterlapsae, pagorum praeposito indi-
cantur, et ab hoc libello inferuntur, qui in iudicio

C. prouin-

18 CAP. I DE IUDICIIS CENSORIIS

prouinciali (*land-gericht*) quod quolibet septimestri in pago Erda, tempore vernali, et autumnali, celebratur, viua voce praelegitur, eoque praeuio, a Consilio et scabinis poena dictatur. Quae a duabus personis, sic dictis procuratoribus exigitur, et aerario fisci infertur. In principatu Hersfeldensi bis per annum, nempe ineuntibus maio et octobri mensibus, ordinantur, ita ut a singulis praefecturarum praepositis (amtleuten) quibus actuarii loco adiungitur Secretarius cancellariae Hersfeldensis, dies dicatur contuentui tum scabinorum, tum subditorum suae praefecture, in quo horis matutinis, post signa quaedam per campanae sonitum data, Scabini quilibet suo loco et ordine accedunt aedificium sui Praefecti ac praesidis, qui dein Actuario seu secretario Hersfeldensi ac Scabinis ipsum sequentibus ex aedibus suis ad locum iudicij sollemniter procedit. Simulac in hunc ventum locum, stans praefectus, Principis nomine iudicium sollemniter ordinat, *er heget das rüge-gericht* postmodum confidunt iudex, actarius et scabini, caputque operiunt. Iudex, insignium loco, manu tenens virgulam quandam, *einen gerichts-stab*, praeuia interrogatione, de iudicio rite ordinato, scabinis proposita, (§. 6) aetius in hoc iudicio expediendos (§. 7 seqq. et §. 14) suscipit, quibus rite consummatis ad epulas disceditur.

§. XVII

A censoriis Cum censoriis iudiciis quadantenus congruunt iudicia,

GERMANORVM IN GENERE. 19

judicia, quae quotannis de rebus sylvestribus exer-
centur, in quibusdam prouinciis; vulgo audiuntur in-
dicia forestalia, forstgerichte REINHARD de iure fo-
restali Germanorum seet. II §. 6 seqq. Iudicia haecce
forestalia (vt liceat barbara hac voce, in omnium fe-
re ore obvia, vti) ab iis, quibus cura seu inspectio
syluarum ac venationum commissa est, semel per
annum ordinantur. In Hassia vocatur *der forst schluss*
in Dynastia Wedano Runckelana, nominatur *der forst-
tag*. Ad hoc iudicium spectant delicta, vti vocant,
forestalia; quae nempe a subditis eorumue liberis
aut famulis nocendo in sylvis, vel quum ligna clam
caedunt auferuntque, vel quum prohibito tempore
aut loco pecora pascendi caussa immittunt, vel quum
erican non impetrata venia colligunt, et quae hu-
ius generis sunt complura, anno proxime elapso
fuere commissa. De hisce delictis, quae a venatori-
bus atque syluarum custodibus sunt denuntianda,
summaria caussae cognitio instituitur, et mulcta facta
illicito respondens fisco inferenda, imponitur, SCHAZZ-
MANN de iure et iudiciis communitatum, quae veniunt
sub nomine Marcarum in Wetterauia. In iisdem quo-
que expediri solet cura de quantitate lignorum, cuius
pro sua necessitate, vel ad rem domesticam, vel ad
aedificandum, vel ad artificium, assignandorum in
futurum annum; caute enim hac in parte est agen-
dum, ne omnes olim premat lignorum penuria. In
eo tamen haec a censoriis distant iudiciis, quod 1)
haec ad solam rei sylvestris curam restricta sint, 2)
non

C 2

20 CAP. II DE IVDICIO CENSORIO, QVOD IN

non sub dio, nec praesentibus scabinis, nec aliis sollemnis adhibitis exerceantur, et 3) in hisce forum priuilegiatum conspiciatur, vel commissarius principis peragat caussam; quae in censoriis iudiciis fecus se habent omnia.

CAPVT II

DE IVDICIO CENSORIO, QVOD IN
DYNASTIA WEDANO RVNCKELANA
SETEL PER ANVM SOLLEMNITER
CELEBRATVR.

§. XVIII

Transitus ad iudicia censoriae Dynastiae Wedano Runckelanae.
Hucusque de iudiciis censoriis in genere egimus; nunc de more, Dynastiae Runckelanae in Comitatu Wedano, circa haecce iudicia, peculiari, quaedam proferre in medium licebit.

§. XIX

Obserua-
tio I.
I) In dicta Dynastia semel tantum per annum circa eiusdem finem sollemniter celebratur iudicium censorium, eodem, quo in capite I explicuimus, modo. Caussae leuiores a publicis personis propositae summaria cognitione inuestigantur, et mulcta imponitur.

§. XX

Obserua-
tio II.
II) Peculiari insigniuntur nomine, *geschworene montage*; quae appellatio fortassis inde trahit originem, quod iudicia haecce olim diebus lunae coepta et per integrum hebdomadam, donec omnes decisae essent lites, continuata fuerunt. Irregularē tamen in

DYNASTIA WEDANO-RONCALIONSI CET. 21

in hoc, quidpiam obseruamus, quippe caeteroquin Germanis Martis die, qui propterea *dingstag* (i. e. a *ding* iudicium) dies iudicis ordinandis destinatus, vocabatur, in iudicio considerare moris erat; HEI-NECCIVS Tom. II Elementorum iuris Germanici lib. III tit. I §. 69 pag. 425.

§. XXI

III) Quum saepius in iure nostro, vti in l. 2 §. Obserua-
-1 D. si quis in ius vocatus non ierit, L. I §. vlt. D. de
edendo, L. 25 §. vlt D. de probationibus constitutum
legatur, rusticati, quod ad iuris ignorantiam atti-
net, veniam esse dandam; operam omnino adhibe-
at iudicium censorium, ne sub specie ignorantiae a
poena dimitti queant delinquentes iurium ignari;
Quapropter in Dynastia Wedano Runckelana, ultimo
semper die confessus, quum iam discessum parat iu-
dicium, extractus ordinationis politicae Nassouico
Catimelibocae, quippe quae in eadem regione pu-
blice recepta sanctissime custoditur, in sollemini
conuentu iudicis et praefectorum, per secretarium
seu actuarium, singulis subditis clara praelegitur vo-
ce; quo magis nullum affectata tueri queat ignoran-
tia.

§. XXII

Ordinationis huius POLITICAЕ NASSOVICO Ordinatio-
CATIMELIBOCAE in quois iudicij censorii con- nis politicae
cessu rite promulgandae potissima eo redeunt capita; Nassou-
vt CAPITE PRIMO partim i de qualitate, fama et I.
facul-

C 3

22 CAP. II DE IUDICIO CENSORIO, QVOD IN

facultatibus eorum, qui ex alio territorio accedentes, subditis Wedano Runckelanis adscribi cupiunt, partim 2) de horum homagio, partim 3) de prohibito accessu ad peregrinam militiam, cui, absque superioris consensu nomina dare, nequaquam licet, legislatoris legantur iussa.

§. XXIII

Caput II
huius or-
dinationis
re-ensem-
tatur.

CAPITE SECUNDО laudatae ordinationis au-
tem de opificibus in genere cautum est, ne cui, abs-
que praevia receptione in sodalitatem opificii, ex la-
boribus aut mercibus huic illiue opificio propriis qua-
estum facere licet; nec profiteatur artem instruendo
tyronem, *einen Lehriungen*; cui secundo capiti in
calce adiecta est severa prohibitio de non dilapidan-
dis, sed in necessarium sodalitatis usum impendendis,
alioquin autem, quantum potе, conseruandis eius
reditibus.

§. XXIV

Caput III
istius deli-
ctivitatis
restitutio-

TERTIO CAPITE dictae ordinationis, agitur
de pannificiis, quorum fabricam alunt terrae Nassau-
uiae, tum Herbornae, tum Sigenae, in Dynastia au-
tem Runckelana hoc tempore nulla reperitur.

§. XXV

Caput IV
visque ad
caput X.

QUARTO et sequentibus ad DECIMVM usque
capitibus, variae, non ubique eodem modo usitate,
saluberrimae tamen, continentur, leges, quas autem,
ne fines egrediamur, speciatim referre non placet.

§. XXVI

Caput XI

VNDECIMVM CAPVT iubet publicam pro vi-
tandis

tandis incendiis impendere curam. Hinc pagorum quibus
praepositi quotannis singulorum aedificiorum caminam sit
nos inspicere, et num quolibet semestri a fumariis oecupat
abstergam videant fuliginem inuestigare; cui si mo-rem subdit haud gerant obseruantissimum, constituta
poena pecuniaria salutis publicae causa imponit.

§. XXVII

Germani in suis conuentibus ac negotiis sollemibus maxime amarunt conuiua. Sic in creandis ac coronandis Regibus, creandis magistratibus, quo- rum annui honores sunt, v. c. consulibus ciuitatum, in feriis ob rem prospere gestam ordinatis, in celebrandis nuptiis, in funere ducendo, et similibus, epulae imponunt actui coronam. Sic tum in ipso iudicii censorii confessu, peractis omnibus negotiis, conuiua parata animi remissionem praebent (§. 14 in fine); tum etiam scabini, quibus per electionem ad hoc officium euehi contigit, suis collegis symposium optime instructum exhibere tenentur. Prohibitae quidem sunt eiusmodi commissationes in laud: ordinatione politica Nassouica cap. I num. 5 addita sanctione, vt, qui contra hanc egerit legem, decem florenos inferat fisco; nisi quod modicum vietum ad decem florenos, nempe Rhenanos, praebere liceat: Interim tum in hisce, tum in aliis prouinciis quotidie modum haud seruari, sed maximos faciendo sumptus, scabinorum societatem, ab eo, qui in hanc nuper fuit cooptatus, laute excipi haberique, obseruamus.

§. XXVIII

§. XXVIII

Epilogus. Sed uti epulae finem imposuerunt auctibus Germanorum sollemnis; ita etiam exposito hoc conuandi more, dissertationi imponimus finem; lubenter fatentes, paucioribus hisce obseruationibus multas quidem in extenso opere addi posse, interim tamen ea, quae attulimus, huius argumenti capita secundum tractationis nostrae scopum pro virium nostrarum tenuitate illustrasse suffecerit; nihil supereesse existimantes, quam ut leuiuscum hocce laborum specimen, huiusque auctorem, lectorum fauori commendemus.

TANTVM.

COROLLARIA.

THES. I

Périculosum est, et suspicione non caret, si in uno eodemque iudicio pater est index, et filius aduocatus.

THES. II

Falsa est opinio praescriptionem immemorialem ad centum annos restringentium.

THES. III

Iudex non debet excandescere aduersus illos, quos malos putat. *l. obseruandum 19 §. 1 D. de offic. praesid.*

THES. IV

Secundum theoriam mulieris in codicillis testes esse nequeunt.

THES. V

Vbi iudicium est coptum, ibi etiam finiri debet; *l. 7 l. 30 D. de iudiciis.*

THES. VI

Notarius repreäsentat duplē personam in auctibus inter viuos, non autem ultimis voluntatibus.

ERRATA.

In rubr. lin. 6 pro Roncaliensi lege Runckelana pag. 4 lin. 18 pro παραδικυματισῳ lege παραδικυματισῳ p. 6 l. 4 pro inuente lege inuente.

Marburg, Diss., 1756-63

ULB Halle
005 360 072

3



Farbkarte #13



4

**DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
IVDICIIS CENSORIIS,
VVLGO RVGE-GERICHTEN
SPECIATIM DE IIS, QVAE IN
DYNASTIA WEDANO-RONCALIENSI SEMEL
PER ANNVM SOLEMNITER CELEBRANTVR,**

QVAM
DIVINA ANNVENTE CLEMENTIA
SVB AVSPICIIIS
**RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI ET CELSISIMI PRINCIPIS**
AC DOMINI
DOMINI FRIDERICI
HASSIAE LANDGRAVII ET PRINCIPIS
HEREDITARII RELIQ.
AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA MARBURGENSI
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES,
AC PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI
PUBLICO EXCELLENTISSIMORVM ACADEMIAE
PROCRVM EXAMINI
AD DIEM SEPTEMBR. CCCLXVIII
AVCTOR
FRIDERICVS ERNESTVS DVILL
WETZLARIENSIS.

MARBVRGI CATTORVM
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI ACAD. TYPOGR.

